

ELEGIA

Quamuis exili numero, sit & ordine vincta
Anglorum Romanâ nec bene tecta stolâ.
Accipe ridenti tamen (Heros optime) fronte
Et nebulas limâ splendidiore fuga.
Eripe fuscatas mendas ne Momus aduncus
Gutture vipereum fel vomitante trahat.
AEgide Palladiâ mendis defende fugatis,
Hostis ab incursu sic quoque sospes ero.
Sic tibi det Dominus, Tythonia tempora, cœli
Sicque tuo voto congruat omne bonum.

HVc ades o echo, resonabilis accola Cophis,
Dic mihi num strages Cerberus edit? ECHO. edit.
Sed nos HOVARDVS bene muniit. Ec. vniit. ergo
In iustos nunquam belligerabit? Ec. abit.
O monstri partes! Ec. Artes. O viscera. Ec. cæra.
O furiosa luis vis mage nota. Ec. nota.
Reddes mille (Comes) comes, renouabis. Ec. ouabis
Hispanos aris quod spoliaris. Ec. haris.
Quot naues arces! Ec. arces quot deprimis! Ec. imis.
Angligenum penetrat nubila clamor Ec. amor.
Non posthac classes hostis reparabit. Ec. arabit
Quod tu sis patriæ dulce iuuamen. Ec. amen.
Χαῖρε· Ec. ϗ αἶρε Cacum preme, ne caput exerat, Ec, errat.
Sic tibi sors sertum donet ouale, echo. Vale.

FINIS.



Inuitâ Inuidiâ.



ELEGIA

Quamuis exili numero, sit & ordine vincta
A n : Ro n anâ nec bene tecta stolâ.
Accipe ridenti tamen (Heros optime) fronte
Et nebulas limâ splendidiore fuga.
Eripe fuscatas mendas ne Momus aduncus
Gutture vipereum fel vomitante trahat.
AEgide Palladiâ mendis defende fugatis,
Hostis ab incursu sic quoque sospes ero.
Sic tibi det Dominus, Tythonia tempora, cœli
Sicque tuo voto congruat omne bonum.

HVc ades o Echo, resonabilis accola Cophis,
Dic mihi num strages Cerberus edit? ECHO. edit.
Sed nos HOVARDVS bene muniit. Ec. vniit. ergo
In iustos nunquam belligerabit? Ec. abit.
O monstri partes! Ec. Artes. O viscera. Ec. cæca.
O furiosa luis vis mage nota. Ec. nota.
Reddes mille (Comes) comes, renouabis. Ec. ouabis
Hispanos aris quod spolians. Ec. haris.
Quot naues arces! Ec. arces quot deprimis! Ec. imis.
Anglìgenum penetrat nubila clamor Ec. amor.
Non posthac classes hostis reparabit. Ec. arabit
Quod tu sis patriæ dulce iuuamen. Ec. amen.
Χαῖρε Ec. καὶ χαῖρε Cacum preme, ne caput exerat, Ec, erras.
Sic tibi sors sertum donet ouale, Echo. Vale.

FINIS.

Inuitâ Inuidiâ.



POEMATVM LIbellus continens

1. Encomium illuſtriſſimi Herois, D. Roberti Comitis Eſſexii.
2. De Sphærarum ordine tractatiunculam.
3. Palæmonis amores philoſophicos.

Authore
Gulielmo Vaughanno Maridunenſi
in Artibus magiſtro.



LONDINI
Apud Georgium Shaw typographum.
1598.

No
ber
ch

Q
pli
adi
per
Ph
Sat
mil
at,
ris,
bo
der
affa
Vn
sio
uia
rur
ne
tati
do.

Nobilissimo & inclitissimo Domino D. Roberto Comiti Essexio, Comiti Angliæ Polemarcho, Aureæ Periscellidis Equiti, & Regiæ Maiestatis á Consiliis: salutem, et fœlicitatem, externam, internam, æternam.

APud Parthos memoriæ proditur, inferioris fortunæ hominibus fuisse interdictum,

Ire salutatum Satrapas sine munere magnos

Quorum ego imitatus consuetudinem, tuam amplitudinem (Nobilissime Comes) sine munusculo adire nefas duxi: quod cum pumice & limâ non sit perpolitum, non pigmentis calamistratum, neque Phidianis coloribus tuo theatro dignis (vt quod Saturnalium libertati maxime fidat) illustratum, mihi verendum esset ne nauseam & fastidium pariat, nisi absque omni suspicione vel faceti adulatoris, vel comici parasiti, te hanc telam Penelopęam boni consulere, solita tua in omnes patientia, prudentia, magnanimitas, & plusquam Artaxerxis affabilitas, vt luculenter sic benignè contestentur. Vnde inaudita mihi accreuit audacia, qua animosior factus (vt Aesopica illa vulpecula leoni obuiam veniens) hęc quę ex Parnassi latebris, Musarum antris (quamuis pręter spem tuam forsitan) sine neruis, sine succo elumbia exhausi, tuę nobilitati subijcio. Tanta tua est erga omnes mansuetudo, vt cum omnium pessime tibi literarium Xeniolum

olum commendarem, tum omnium meditarer optime: tum quod nuper id tua virtute pręſtiteris, quo immortale tui nominis pręconium conſequutus es; tum quod Pater meus pię memorię, & plerique noſtratum, liberam tuę munificentiſſimę voluntatis propenſionem etiam atque etiam experti fuerint. ſatius enim exiſtimaui (cum e duobus malis minus ſit eligendum) laborioſe cum Diogene dolium vertere, quam otioſe cum Domitiano muſcas acu transfigere, tuum encomium meo cum diſpendio prędicare, quam inglorius in Muſęolo remanens, ingratitudinis voragine abſorberi. Illud pietas tua & comitas poſtulant, illud amici mei exigunt, illud denique Maridunenſes omnes vno ore efflagitant, nimirum, vt poſteritati te ęternum reddam, quem ita colat, vt approbet, ita approbet vt euehat, ita euehat vt admiretur, ita denique admiretur vt Decijs & patrię patribus pręferat. Tuam interea amplitudinem vehementer rogo (imo rogant omnes) vt quod Cyrus Hieroſolymis, id tua benignitate tuis Maridunenſibus pręſtes, officium pientiſſimi Samaritani ſuppleas, & gymnaſium in communem ſcholaſticorum vſum aſtruendum iri, perfici iubeas & perfectum tuteris. Memphitici principes olim clariſsimi, Pyramidas, & arcus Dędaleos in nominum ſuorum immortalitatem

erex-

erexerunt, trophęum autem, nec permanentius ad nomen diuturnâ in memoria insculpendum, nec excelsius ad alendas artes tutari ipse potes, quam si in patrocinio tuo constantissimo huius operis ergô remis velisque perseuêres: hęc Pyramis antiquorum monimenta excellet vnde digni operarij adolescant, qui temporis curriculo in foecundam Messię vineam assumantur. Nec tibi (Comes fortissime & sapientissime) defutura auxilia & adiumenta dubites, aderit rerum omnium conditor & parens Deus, aderit tota Patria, aderunt fidelium preces, aderunt viduarum & orphanorum vota, quę Pater ille omnipotens nunquam aspernatns est: sic tua beneuolentia multorum parentum spes refulserit, sic eximia multorum ingeniorum indoles accreuerit, sic indubitata posteritatis salus emanauerit, cui nulla virtutis commoda contingent quorũ sementis a maioribus facta non propagauerit, sic nostrates in hoc vsque sęculum tritum illud Apollinis *vaticinium tibi reseruatum credant,*

Tu caput es clarum, qui cœtera membra tueris,
Tu Dux nos milites, tu Patronus, nos clientes.

Ab amplitud. denique tua precibus humilimis contendo, vt me iampridem tibi a Patre meo destinatum clientulum sustentare volueris: qui velitationis inexpertus vix scalmum in amne gubernare

didici,

didici, nec Aegęi tumultuantis fragoribus credere meipſum auſus ſum, tam furioſe enim alios obſtrigillatorum pręſteribus exagitari video, vt huius tempeſtatis naufragium non ſine cauſa extimeam. Verum tuo (illuſtriſsime Heros) fretus ſuſtentaculo, ventis leniter vel fortius afflantibus, lembo lintea committo. Deus opt. Max. te ita ſua gratia aſpergat ita viuentem diligat, & morientem deligat vt ęrumnoſis huius lachrymarum vallis calamitatibus ſolutus, tandem aliquando ad coeleſtem illā electis paratam tranſuoles hæreditatem. Oxonii e Collegio Ieſu. Anno a partu virginis. M. D. XCVIII.

Tuæ amplitudinis ſtudioſsimus.

Gulielmus Vaughannus
Maridunenſis.

In M. Gulielmi Vaughanni Mari-
dunenſis, Encomiaſticon Poema, Pentaſticon.

QVamvis hoc lauri careat fautoribus æuum,
Nauſeet & vulgi dulce corona melos.
Non tamen obſcuris condatur nubibus alma
Laus tua, ſed docto carmine parta viget.
Sicut enim tenebris non cedit Lucifer atris
Cœtera vi roſeæ lampadis aſtra fugans:
Sic tua ſcripta graues criticâ grauitate Catones
Exangues reddunt, exanimeſque metu.
Macte labore, libris decus immortale paraſti,
En pia ſupremum dat tibi Muſa locum.

Gabriel Powel.


Authoris Proſopopoeia ad ſuum librum.

ITo bonis auibus liber, atro crimine liber,
Enſe nec impediat ſæuus Orion iter.
Humida non noceat nymboſæ ſtella capellæ,
Non Hyades, tonitru, nec Iouis ira tibi.
Ito ſalutatum fœlici ſidere natum
Heroem, meritus quam comitatur honos.
Si quid agas, domini vel nomen forte rogârit,
Illi ſubmiſſa talia voce refer:
Miſit Apollineos me vates inter alumnos
Inſimus, vt reduci gratuler ore tibi.

Promp-

Ad Librum.

Promptus ad obsequium quoduis, tibi seruio soli,
Te colo seu temnis, seu mea metra probas.
Det Deus vt numeres Cumeæ sæcula vatis,
Omnibus & votis annuat ille tuis.
Sic vbi fata vocent, in summo collocet orbe
Indigetem factum te sine labe. Vale.
Fallor? an hæc fatus mox excipiêris ab illo?
Et facili nostras imbibet aure preces?
Ante tamen cultu fac candidiore nitescas,
Signaque lætitiæ laurea serta geras.
Hospitio exceptus digno vulgabere tandem,
Publica doctorum multa per ora virûm.
Non equidem inuideo, nec tanto indignor honori,
Aemulus, vt viuas secula mille precor.
Non laruas (hortor) timeas lemures sue sequaces,
Nec qui sub dulci toxica melle tegunt.
Quis nisi baubantis timidus maledicta veretur
Sæua susurronis, felle linita graui?
Ergo sit indulgens tibi cura placere patrono,
Vt non sis nocuus sit tibi cura tui.




Ad Nobilissimum Comitem Essexiæ, vt sua carmina boni consulat.

Nobilis Essexi Comes, indefesse laborum,
Quem propter Martis fama coronat opus:
Cum sis præsidium musis hoc tempore solum,
Carmine fert animus te celebrare nouo.
Vix vbi committo calamos ad scripta, sed aurem
Indignans operi vellit Apollo meam.
Quid scripturus ait? modo te cohibeto superbe,
Impero, mittis aquas in mare, ligna nemus.
Aggrederis scio digna quidem, non viribus apta
Cœpta tuis, annis es tener ipse nimis.
Inquit : et irato statui non reddere verba,
Verterer in tumidum ne male-sanus aprum,
Contradicendum non Dijs ; calcare quis audet
Aduersus stimulos ? ludere cumque sacris ?
Læta sed è Pindo paulò post tempore musa
Venit, & hortanti talia voce dedit ;
Quid facis inconstans? vnam cur ferre repulsam
Vis? iterum numen sollicitato prece.

Nam Medicina tuis non practica conuenit annis,
Congruit haud æuo Concio sacra tuo:
Aurea non sapias sinuosi corpora iuris,
Hæc te venturo tempore scire iuuat.
Cur adstas vultu pudibundus? causa pudenda
Non est conatus, ô pudibunde, tui.
Quamuis deficiunt vires, tamen ipsa voluntas
Grata patrocinium quo tueatur, habet.
Aoniæ Deuorax celeberrima gloria turbæ,
Quem non extollant postera sæcla satis,
Contemptis nobis, aditus concedit apertos:
Et placido vultu, carmina culta probat.
Huic crede auspicijs librum fœlicibus ortum,
Sic pater impediat non Pataræus opus.
Quêis ego confisus depono è pectore planctus,
Neptuno pandens prospera vela ratis.
Vix præ lætitiâ, rationis clamito compos
Mæcænas, Vates qui colit, alter adest.
Quærite Virgilium, tumulatum quærite Flaccum,
Quærite & abiectam, turba nouena, chelin.
Mæcænas vobis tandem redit alter amicus,
Non sunt in cunctis numina spreta locis.
Numina spreta colis, Comes ô Polemarche, nouena,
Colligis ex humili numina spreta loco.
Ergo cordatus iuvenili ardore lacessor,
Qualiacumque vides metra dicare tibi.

Nemp

Nempe Deum quondam mulſerunt iſta Chorœbũ,
Quæ modo Mæcænas dono Chorœbe, tibi:
Iuppiter ipſe magis lætatus thuris odore,
Quam fuit aſperſo ſanguine mille boum.
Nempe Cyro placuit data pauperis vnda Synætæ,
Accepit Viduæ dona minuta, Deus:
Nec minus, ô Comes alme, librum metire puſillum,
Sit tibi ſincerum cor holocauma meum.





Encomiasticon Poema, in honorem Nobiliss. Domini D. Roberti Comitis Essexię.

Inuocatio ad Apollinem.

INter Amiclęos ego quid, velut anser olores
  Voce strepam solus? nec pia metra feram?
Dii prohibent, vati meliorem diuide sortem
  Vnica Castalii gloria, Phoebe, chori.
Suggere materiam fandi, mihi suggere formam,
  Et mea foelici numine coepta rege.
Pręside te parili decurrent ordine versus,
  Pręside te pręsens non leue fiet opus.

Triumphus patrię pro reditu Nobilissimi sui herois Comitis Essexii, post suam contra tyrannidem Hispanicam expeditionem naualem.

ERgone ab Hesperijs tandē (Comes inclite) regni
  Optatus remeas per freta longa maris?

Ergon

Ergone per Syrtes, & per Ceraunia classem
Incolumem ducis (Dux animose) tuam?
Scilicet vt patriam correptus amore videndi,
Suppedites nobis gaudia mille redux
Cambria plaude, comas Maredunum necte corollis,
Natus enim Deuorax vester alumnus adest.
Cambria plaude, ferax tecum nec Gracia certet,
Quamlibet Æsonides vellera portet ovis.
Et licet Ægides Minotaurum vincat, adæquent
Gaudia lætitiæ non tamen vlla tuæ.
Exultas hilaris (scio non opus esse seuero
Consilio) saltas liberiore pede.
Non ita Penelope reduci gaudebat Vlisse,
Nec sic Cæphæis sospes ab hoste suo.
Non ita Laomedon plaudebat ab Hercule cœto
Occiso, quando gnata voranda foret.
Vt tu, conspiciens (indulgentissima Mater)
Adpatriam natum soluere vela ratum:
Vt tu, Mæcænate tuo post funebre bellum
Illæso, membris aduen iente domum.
Qualis vbi nymbis depressa frequentibus herba,
Pœne coloratam perdit amœna comam.
Donec inauratâ, ventis pluvijsque fugatis,
Delius instauret, luce vireta pater.
Tum reflorescit tegumento induta priore,
Ac aliquantisper prosperitate viget.

Talis ob abscessum genitrix mœstissima nati
Tabuit, & tersit illachrymando genas.
Sed simul ac reditum rumor patefecerit ales,
Vicerit Æolias lenis & aura minas.
Plaudit, ouat, resilit materna Britannia, spargit
Ignem per vicos, igneque thura cremat.
Psallit vota Deo, iucundaque psalmata vatis
Libat Iëssæi pectore, voce, manu.
Nullus amor matris Par invenietur amori,
Nulla fides fidei prona clientis erit.
Quî fit vt illa cliens genitrix sit & alma? senectæ
Filius est Deuorax anchora sola suæ.
Est baculus, sine quo nusquam gradiatur inermis,
Hoc absente cadet languida, tristis, inops.

Ab ortus auspicijs laudatur.

NEc natalitij decorant non festa planetæ,
Saturni recidit stella maligna polo.
Cyprida virgo tenet, Leo sustinet Arcados astrum,
Comprimit & Martis signa cruenta bilanx.
Omnia signiferi concordant sidera cœli,
Quot pars Australis, quot Borealis habet.

A generis nobilitate.

QVam tibi præstantes proaui virtute fuerunt
Nobilitate pares, diuitiјsque pares!
Ast an nobilitas innata probatior extet
Quæsitâ, dubitant tota lycæa palam.
Vtraque nobilitas in te viget, vtraque nomen
Hymnisonam laudem quod mereatur, habet.
Hoc bene turba probat problema, Catonica, planum,
Non negat hanc celebrem stoïca secta thesin.
Sanguine natus avus regum Ferrerius Heros,
Qui Maredunensis Iuppiter vrbis erat.
Nec minus emicuit genitor Gualterus in vrbe,
Dictus Cambriaci gloria sola soli.
Sicut solis auis cum corrosiua senectus
Obrepat, repetit culmina celsa citò:
Hîc & Orontæâ myrrhâ, casiâque rubênte
Construit, & calamo dulce cubile sibi:
Mox super hoc moritur, nouus exoriturque medullis
Pullus, defuncto qui pia iusta refert:
Solis & Arabicam mollem transponit in vrbem
Nidum, Panchæi quam celebrare solent.
Sic tuus hybernis genitor moriturus in oris,
Mandauit dicto posteriore tibi,
In Maredunensi vt sepelires vrbe cadauer,

Ista nam (dixit) natus in vrbe fui.
O patris, patriæque suæ non immemor Heros,
O blando modulans gutture carmen olor!
Sic vbi cygnæum Comitem sua fata vocârint,
Spiritus vt summi regnet in arce poli:
Tu (rediuiue Comes) Cambrensis & vnice Phœnix,
Curasti patris debita busta tui.
Curasti fieri, quodcunque suprema voluntas
Mandauit, dicto posteriore tibi.
Stemmate sic clarus, velut à Ioue tertius Aiax,
Tu (Comes) exuperas nobilitate Iouem.
Laus magna est magno patre nasci, maior amicos
Pectore magnanimo conciliare tibi.

A bonâ corporis constitutione.

O quam maiestas personam celsa gubernat!
O quam temperies, gratia, forma, salus!
Quanta Charis fronti, quantus decor additus ori!
Quanta columbinis luminibusquè Venus!
Coccina candenti tibi surgunt vellera mento,
Pæstanas superant labra rubore rosas.
Os tibi Pellæum, collum teres, instar et auri
Pars agili quæuis nexa vigore nitet.
Pes plumâ leuior, cervum leuitate volucrem
Præstas, per Cereris gramina ceruus eas.

Encomiasticon Poëma.

Absolon es formâ, vel Ephestion ipse sodalis
Charus Alexandro, vel Machabæus atrox.
Quod si non illis similis, Telamonius Aiax,
A me (magne Comes) rite vocatus eris.

A bonis animi.

SEd non fortunæ donis confidis opimis,
Quæ faciat morbus tempore fluxa breui.
Excolis ingenium bene cognitione politâ,
Quam nulla eripiant tempora, nulla lues.
Scilicet huic monumenta struunt de marmore reges,
Scilicet huic victâ sorte trophæa ferunt.
Hæc contra casus est turris ahenea Martis,
Hæc oculata retrò, singula & antè videt.
Lactea vix etenim cunas infantia liquit,
Cum cupis æthereum sponte timere Deum.
Forsitan à summo, repetis, primordia tecum
Numine deducit Calliopæa sacra.
Postea pergebas faustis academicus horis,
Prisca Stagiritæ voluere scripta senis.
Vix triplices vitæ tibi lustra quaterna Sorores,
Concessere, decus cum tua musa capit.
Cum mox septenâ procedis in arte magister,
Et grauis, & prudens aulicus esse studens.

A rebus gestis, in Portugallia.

DE quot te memorem saluum euasisse periclis,
Fœlix in vitâ morte future Comes?
Inuictum testatur adhuc Lisbornia robur,
Mars vbi per nebulas fulmina misit atrox.
Martis vbi cristata Soror caput angue trilingui
Pugnauit contra teque tuosque ferox.
Tu vero ruis in media imperterritus arma,
Acer & hostili sanguine tingis humum.
Mirmidonas, Dolopasque, tuos sermone maniplos
Palantes reuocas dulci sonante prius.

A rebus gestis in Belgiâ.

NOn experta tibi prima hæc euenta fuere,
Prima recensebit Belgica terra tua.
Dux vbi Parmensis, magnâ comitante phalange,
Ceu leo nostrates mouit ad arma duces.
Tunc etiam primus, caput obiectare periclis
Audebas tantis, nulla futura timens.
Ordinibus rectis ponebas agmina, verbi
Fracta reuiuiscens pectora melle tui.
Hîc rotat horrisonos globulos per nubila celsa,
Hostibus ac illîc fata minatur Eques.

Hîc

Hîc pedes aduersam turmam confundit equestrem,
Trudit & ad stygias præcipitanter aquas.
Temperat ignitum plumbum Pilularius illîc,
Se Dux in timidos conijcit ipse pedes.
O quam magna fuit cædes in turbine tantâ!
O mucrone viri quot cecidere tuo!

A rebus gestis, in Galliâ.

GAllica cur tantum gens ô ingrata silescis?
Nec Comitis prælo cedrina facta refers?
Nam Tartessiacus cum Sardanapâlus, alumnos,
Sordida crediderit sub iuga ferre tuos.
Reginæ nostræ iussu dux ille, virorum
Duxit in auxilium millia multa tuum.
Regis & oratu, iacuit quâ Neustrica tellus,
Iuit ad infaustæ mœnia celsa Roan.
Eius vbi frater, cordato pectore puber,
Sacrauit Getico nobile stemma duci.
Ac strauit (plusquam consensit ephebia mollis)
Hostica, vectus equo, membra bipenne secans.
Non aliter furuus cudebat Mulciber Ætnæ,
Fulmineo fabricans tela trisulca Deo.
Sic pubertatis teneræ, nostrûmque miserta,
Heroi primò falsa pepercit Anus.
Scorpio postridiè, cornu, balista, calantes,

Glans,

Glans, aries, lituus, concrepuere tubæ.
Irruit in medias acies Essexius Heros,
Corpora disijciens multa epulanda feris.
Non etenim tantâ Rhodopeia culmina mole,
Oppressere Iouis fulmina missa manu.
Nec sic Tidides apud ardua mœnia Troiæ,
Strymonio inflixit vulnera sæua deo,
Ipsa cruore virûm tremefacta, fragoreque Tellus
Perdoluit, lachrymis commadefacta genas.
Eius adhuc horrent cladum meminisse diei
Hispani, nostri cantica mille canunt.
Mille sed in querulos conuertit cantica luctus
Lubrica sors, fato quæ rotat omne genus.
Roscida ceu menses duodenos luna peragrans,
Mobiliter crescit, diminuitque facem.
Nunc tegit eclipsis vultum, modo nubila condunt,
Sic mutat solitum dura Nouerca locum.
Induitur varijs eadem per tempora plumis,
Nunc hilaris ridet, nunc lachrymosa tonat.
Dum stipatus enim cuneos indagine paucis,
Lustrarit frater (magne Roberte) tuus.
Vt vulpes armata cohors, in cordibus iram
Voluens, sub collis delituere iugo.
Et vibrauerunt (heu) in caput eius inerme,
Facta Medusæâ plumbea tela manu.
Protinus occubuit iuvenum flos saucius ictu,

Phar-

Pharmaca Pergamëi nec valuere senis.
Protinus occubuit nulla medicabilis arte,
Non Galene tuâ, non Paracelse tua.
Ergo corpus habet Maredunum, Gallia laudes,
Spiritus at summi conspicit ora Dei.
Tu tamen (ô inuicte Comes) scelus istud es vltus,
Vincla Lycaoniis iniiciendo lupis.
Gallica cur tantum gens ô ingrata silescis?
Nec Comitis prælo cedrina facta refers?
Quod facis ingrato perit, est sententia nota,
Haudquaquam tanti Gallia tota valet.

A rebus gestis in vrbe Gaditanâ.

VRbs apud Hesperios est Gaditana vocata,
Congerieque freto septa superbit opum.
Hanc prope naualis fuit ampla instructa Neronis
Classis, vt inferret noxia fata piis.
Vt perterreret simul & Nereïa monstra
Remigibus vastis, Oceanumque senem.
Haud secus ac Xerxes numeroso milite cinctus,
Hellada credebat non satis esse sibi.
Sed Deus omnipotens, summi plasmator Olympi,
Euertit solus qui Pharaonis opus.
Impulit Angligenûm naues in Iberica regna,
Impulit & nostros in fera bella duces.

Scilicet

Scilicet ut dextro comburant impete classes,
Scilicet ut repriman t colla superba iugo.
Nec mora: sacrati commoti flaminis igne,
Bella Britanniaci sub Devorace gerunt.
Bella gerunt, facilemque Deus dat nauibus auram,
Torquent in vastas ignea tela rates.
Pars merguntur aquis, pars & funduntur aperto
Robore, pars timidos arripiuntque pedes.
Sicut ab Hippotados missus Notus imbricus aulâ,
Turbinibus perflat regna marina nigris.
Hinc volat, horrisonat, furit, impetit aëra sursum,
Ac ibi dant illi nubila pulsa viam.
Sic dum nostrates pugnant, Deus arma ministrat,
Concedit nostro gens & Ibera Duci.
Quid non altitonans Pater attentabit honestum?
Quid non suscipient strenua corda probum?
Ergo Christe tibi concessit Apostata, vires
Vicisti clamans ô Galilæe meas.
Ergo Christe tibi cessit Maxentius vni
Regna Calidoniæ quem stupuere modo.

A rebus gestis in postrema expeditione nauali.

NOn tamen extremum totus secessit in Orcum,
Sed velut Hydra tumens, prælia rursus agit.
Prælia rursus agit, probat hæc Papata corona,

Effræ-

Effrænis Monachus, Cardineusque chorus.
Papa probat, scortum probat hæc Babilonis, Iberis
Pocula lethifero fœta liquore bibens.
Papa probat, post & Semeleïa pocula, tales
Ebrius anguifero spirat ab ore sonos;
Vos Atlantiaci prognati sanguine diuûm,
Quorum formidat Iuppiter arma tonans,
Quare serpit humi modo vestra potentia deses?
Quo virtus abijt mascula? serpit humi?
Proh facinus tetrum! proh intolerabile crimen!
Floret adhuc Anglûm quid Synagoga salax?
Me pudet, heus glomerato acies, ô Bætica turba,
Nomina non laus est succubuisse rogis.
Ossæos montes inuoluito, Pelion, Othryn,
Remos, transtra, foros, vela parato ratum.
Pro grege, lege, fide, fragilem diffunde cruorem,
In cœlo melior vita parata manet.
Difficiles adytus, cæsis reserabo supremi
Successor Petri, clauiger ipse, poli.
Num Gaditanam vastatam nuper ab Anglis
Vrbem militibus, mente libente feras?
Dixit: bullato dicta & diplomate scripto
Confirmat, classes Bætica turba struit.
Et statuit Nympham furtim superare Britannam,
Omnibus indigenas & spoliare bonis.
Vix tranquilla, tamen, portus egressa fuere

Ostia turmatim plebs glomerata simul.
Mugijt Æmonius ventus, ruit humidus Auster,
In naues duplices intonuêre poli.
Fulgure Pleïades præsentia fata minatæ,
Agmina fecerunt structa redire citò.
Hæc vbi Reginæ rumor perduxit ad aures,
Ad famen proceres, conciliumque vocat.
Nempe locum tribuit primum Res Bellica linguæ,
Nempe togæ cedunt spicula, bella moræ.
Vnanimes suadent pro libertate tuendâ,
In medio pugnam rursus adire mari.
Ante sit electus princeps, examine iusto
Pendit Iberiaci prouida Nympha doli.
Protinus, ô Deuorax, tanti prouincia belli
Creditur auspicijs (dux animose) tuis.
Creditur imperio fausto res classica nostrûm,
Vt domites hostes Marte feroce feros.
Mox bello exponens classes, iter arripis Heros,
Sed venti in puppes infremuêre tuas.
Iratusque Deus scopulis illisit adesis
Quasdam, nauales diriguere metu.
Donec deuotis votis (Comes alme) rogaris
Placarisque tuum supplice voce Deum.
Donec ad alta poli porrectis sidera palmis,
Tales fundebas mæstus ab ore sonos.
O Deus, audaces qui fulmine perdis hyulco,

Qui Neptunicolûm concutis ossa metu.
Ad te confugimus, quia nobis nulla salutis
Spes manet, auxilium suppeditato tuum.
Aspice, quam perflet naues niger Æolus atro
Chasmate, quam nigris nubibus æthra nigret.
Aspice quam glauco Neptunus in æquora vultu
Murmuret, & strepitu nos reboante premat.
Aspice, remigibus laceræ sint absque canoris,
In mare iamdudum tres periere rates.
Quare (Christe) iube vada cœca quiescere ponti,
Maturare fugas Æoliosque iube.
Sic reprehendisti tu ventos ipse carinâ
Conscensus quondam, monstraque sæua maris.
Iactati miserere gregis, miserere pusilli,
Ne ruat, omnipotens ô Deus affer opem.
Talia fundebas, subitò & mitescere cœlum
Cœpit, fluctiuomi visque silere maris.
Tanta tuæ, perchare Deo, fiducia mentis.
Tantus amor comitum, gratia tanta fuit.
Maxima vis fidei; monti dic, esto remotus,
Continuo positâ mole remotus erit.
Pòst & Vlissæâ pariter socia agmina voce
Cogebas, ratibus denuò vela refers.
Visis & Hispanas generosâ mente phalanges,
Lex vt reddatur Talio dicta malis.
Vtque pari penses par, armis arma rependas,

Sardoi risus quæ peperere sibi.
Omnia fælici succedunt omine facta,
Obuia perfertur classis Ibera tibi.
Instructis autem tu nauibus ordine recto,
Innocuis profers talia dicta labris:
Sicut inassuetus puer ora seuera magistri
Extimet, attonitus moribus ipse scholæ.
Sic litui ignarus, bombo sonituque tremescit,
Cum varijs vicibus sors truculenta tonat.
Scilicet ignorat millena pericula Martis,
In minimis metuit damna minora magis.
Et nisi continuò medicamina casibus apta
Inueniat, de se spes sibi nulla foret.
Immensum tristes emergit flumen ocellos,
Intima terribilis comprimit ossa stupor.
Nunc pater in mentem, proles venit, vxor, & aurum,
Iussa pati cernit nunc inimica lares.
Laudibus egregijs idcircò vehenda (Britanna
Gens) eris, ô vatum carmine digna cani.
Non tua Bellonæ commota tonitrua corda
Concutiant, dulcis nec tibi vita nimis:
Obsidij cuius cognouit Iberia vires,
Præsidij cuius Belgia nouit opem.
Fortia quot dextro strauisti robore regna,
Quot manibus classes deperiêre tuis.
Claudius agnouit Nero captus spicula, Regi

Vxorem natam cum dedit ille tuo.
Tela ſub Arthuro, Romanus Ceſar, acuta
Proſtratus ſenſit (turba Britanna) tua.
Ianus Valleſius captiuus prodeat, Heros
Prodeat & Scotiæ Regius ipſe Dauid.
Prodeat Hiſpanus nothus, obſidione coactus
Eduardi in fœdam vertere terga fugam.
Quid Mahometigenas toties memorabo cruentos
Cæſos? quid Reges innumeroſque loquar?
Quos effeciſti ſub te vexilla tremenda
Efferre, & ſtabili lege tributa dare.
Quin etiam nuper tibi Gaditana triumpho
Vrbs fuit, Angla cohors, erige corda modò
Compellato Deum prece, ſic victoria certa
Conſtet, & euincas agmina multa virûm.
Induitor gladio, loricâ, caſſide, peltâ,
Geſa retorqueto felle retincta nigro.
Dirige bombardas, nauales obrue claſſes,
Miles vt hoſtilis piſcibus eſca cadat.
Siqua Britanniacûm manet alta mente repoſta
Strenua vis atauûm (turma parata) tuâ,
Sponte die viuax hodierno ſurgat in altum,
Fundat Iberiacos, diſyciatque rates.
Cur bona defuerint hoc tempore pectora vobis?
Pectora Ceſareo ſæpe nociua duci?
Vix ea fatus erat; ſubitò cum machina glandes

Intorquet volucres: ignibus astra micant.
Tu quoque fraxineis sudibus, cataphractus, & acri
Ictu contorum mergis, & arte rates.
Arte rates submergis aquis, submergis Iberas
Classes, quam multas in Phlegetonta iacis.
Nec minus igne metunt, plumbis Heroes, & armis,
Proxima magnanimi; quisque laborat atrox.
Quisque laborat atrox, parmatumque enecat hostem,
Flammâ mille cadunt, vulnere mille cadunt.
Agmina multa cadunt, monstris epulanda marinis,
Cœtera committunt turpia dorsa fugæ.
Accipitrum veluti nidis quæ turba relictis,
Ad deprædandum cum feritate parant.
Tempore post paulo circumtonat ignifer aer,
Verberat & faciem grando globosa Rheæ.
Confestim fugiunt, retrocedunt que procellis
Exanimis, volucrum turba gregata statim.
Haud secus Hispani, desertis comminus antris,
Cumpremere electos obsidione parant,
Te fore rectorem nostræ (Comes alme) creatum
Audito classis, dant sua terga fugæ.

Epilogus.

SIc post displosas nubes redit aura serena,
Post tristes morbos gratior alma salus.

Ceu rosa torrenti flaccescit lumine solis,
Vernalem formam perdit & ante diem,
Sed si mox forsan spumante sit imbre rigata,
Idalijs vegetat rursus odora comis.
Post tempestates, Aquiloniferasque procellas,
Post varios casus, spicula, damna, metus.
Tempora cinctus, io, pacante triumphus oliuâ
Peruolat in terram (virgo Britanna) tuam.
Daphnæus Deuorax hunc in Tarpeïa templa
Deducit, lætè vociferante choro.
Sirius igniuomo cum campos torruit ore,
Vssit, & ardenti cum face Phœbus humum,
Non desiderio sitientes cærula tanto
Quæsiuere feræ, gutture hiante, vada.
Vector & Europæ cum gramine vestijt agros,
Floraque ver reuocans prodijt alma recens:
Garrula non tantà Philomena cupidine Prognen
Defleuit, Tereï facta cruenta sonans:
Virgo tibi quanto gratatur amore Britanna,
Et gaudet saluum te rediisse, Comes.
Soluere cœlitibus solennia vota solebant,
Sacraque gentiles thura cremare focis.
Signa voluntatis puræ tibi Patria grates
Offert, proque tuo numen honore rogat.
Concolor hoc niueis fecit victoria plumis,
Mentis & integritas hoc iubet alma tuæ.

Ergo Comes nuper Polemarchus iure creatus,
Vexillum Martis te penes esse sinis.
Vndè mihi præceps audacia plurima crescit,
Quæ cogit laudes me resonare tuas
Vnde tibi audacter chartacea consecro dona,
Quæ facilis facili conspice fronte, precor,
Sic tua, quæ fundis clementi mente capessat
Vota Deus, Pylij dans tibi sæcla senis.





Inuitantur candidati Poetę ad triumphales cantus, Pro victoriis & reditu illustrissimi Domini D. Roberti Comitis Essexij.

ROma viris doctis onerata, superbijt olim
  Seu Cicerone suo, siue Marone suo.
Fons virtutis apex, diuina Palladis ædes,
  Appellata fuit Martis & artis honos.
Illa sed errorum nutrix euasit, & inde
  Indomitis cecidit barbara præda Gothis.
Latoides verò turbâ comitante nouenâ,
  Venit ad Albionos sidere tecta bono.
Hîc vbi multimodis Flacco, Gagere, camœnis,
  O mihi post nullos Doctor amande, præis.
Hîc vbi dulcifluo tua melle Diaria, More,
  Dente Theonino non laceranda, madent.
Hîc etiam Camdene habitas, velut alter Arion,
  Delphinas retrahens carmine, voce, chely.
Hîc cui cognomen tribuit Campana, volutas
  O Thoma rectis metra ligata modis.

Ex

Ex Hæmis pariter patrijs erumpite vates,
Inclita belligeri ſcribite facta Ducis.
Huc Spencere veni qui venâ præditus altâ
Virgilij plenâ pragmata voce canis.
Non lamijs Libitina tuis continget acerba,
In mare dum Thameſis nobilis vnda fluat.
Condecorato ducem reducem, decorato triumphum,
Cingito Phœbæis laureoliſque comas.
Huc ades, ô Daniel, muſarum culte chorage,
Qui potis es Cytharâ ſaxa mouere tuâ.
Acta voluminibus Chronicis mandata Roberti,
Et ſua tranſactis tempora redde libro.
Noſtra recenſebit pubes digniſſima cedro
Carmina, Cecropio tincta lepore tua.
Eoo donec Deus auricomâtus ab orbe,
Deſinat aſſuetum carpere Phœbus iter.
Huc Lodouice gradus properato Lloyde facetos,
Tinnula Cambriacæ percute fila Lyræ.
Threïcijs, Brettone, modis clariſſime vates,
Cornea ſmyrnæâ ſumito plectra manu.
Vtitor o Draitone tuâ doctiſſime muſâ,
Æmule vel genio Naſo poeta tuo.
Fitz-geffrede tuum decus haud vaneſcet in auras,
Nec Drakus vt ventis naufragus actus erit.
Dum Tarteſsiaci, gens poſtera, monſtra tyranni
Herculea memoret præcipitata manu.

Encomiasticon Poëma.

In patrio multos alios idiomate musæ,
Edentes libros erudiere, nouem.
A cunis quorum teneris circumlita succis,
Palladis & lepido labra fuere melo.
Huc & adeste sacri vates, quos Teutonis ora
Nutrit, io Comitis *pangite facta libris.*
Pangite io versus, & io Pæanas amœnos,
Scribite, pigrities nec remoretur opus.
Nablia festiuis numeris modulare poeta,
Deducens choreas, ô Adamæe, sacras.
Versibus hunc comitare pijs, Philopœe celebris,
Tergeminâ *nostrum prouehe laude Ducem.*
Non animum formido minax, non ronchus acumen,
Non tua virgineus purpuret ora pudor.
Elapsus Moses sic a trigonalibus oris,
Submerso rubro Rege Pharone mari,
Legitimis lusit numeris miracula cœli,
Metrorum grates officiosus agens.
Sic Sisarâ victo, Lapidothis cantica grata
Aethereo cecinit numine plena duci.
Sic Dauid Allophilum prosternens morte Gygantem,
Carminibus panxit Pragmata gesta pijs.
Nam quid amabilius, quam soluere vota Tonantè

Pro

Pro tantis donis, perpetuisque bonis?
Quid laudabilius, quam compensare parentum
Munere progeniem munera digna pari?
Hinc viuax surget, mihi credite, gloria vobis,
Gloria Zoïlæis non mutilanda sonis.
Consurgent etiam vobis hinc dona perampla,
Dona metallifero splendidiora Tago.
Nec minus huic nostræ clementes parcite nudæ
Musæ, Romano quæ studet ire gradu.
Non delinquentem grauiter punite, sed horis
Infestis criticis menda referte, rogo.



De Luna & ſphærarum ordine.

ROſcida prima polo monſtrauit cornua Phœbe,
Illuſtrans terras, imaque Solis ope.
Cui tria ſcriptores tribuerunt nomina priſci,
Quod tulit auricomam, dicta Diana, diem.
Infernis Hecate quod cæca palatia nigri
Splendida purpureo viſerat ore Dei.
Pronuba coniugibus, fœtu Lucina grauatis,
Eſt ſoror et coniux Iuno vocata Iouis.
Humiditas cuius cum feruiditate fauillæ,
Semina ſufficiunt ingenerare noua.
Lucet, & oſtendit varios per tempora vultus,
Nec cerni fratris ſub face tecta poteſt.
Fertur & ancipiti motu per concaua, Cycli
Bis ſex ſigniferi corpora ſumma petens.
Extra zodiacum nunquam portatur ad arcton,
Per callem Solis nec vaga tendit iter.
Sed fortis motu ſi Cancri ſigna pererret,
Donat opes, faſces, munera, regna viris.
Mitis forte Iouis ſi ſe cum ſidere iungat,
Præſtat amicitias plebis ineſſe duci.

Lunæ tria nomina.
Diana.
Hecate.
Pronuba Iuno.
Lucina.
Humiditas Lunæ cum ignis calore ad res generandas multum faciunt.
De variis Lunæ formis.
Non videtur cum ſub ſolis radiis manet.
De moto eius.
Non extra Zodiaci latitudinem portatur.
Operatio Lunæ in Cancri ſigno.
Luna cũ Ioue

Martis

Lunæ occursio cum Marte & Saturno

Martis, Saturnique comas si comprimat atras,
Prælia significat, regia busta, minas.

Luna a venere aspecta.

Aurea sit quamuis Venus æmula lampadi Lunæ,
Lædendi vires non habet illa tamen.
Concitat imperium Neptuni flatibus æquor,
Et facit vt iactet sæua procella ratem.

Maris fluxus & refluxus.

Quod fluat & refluat pelagus, pelagique charibdis,

Causa refluxut.

Menstrua cum magno turbine Luna facit.

Serenitatis prognostica.

Montibus apparens, tempus notat esse serenum,
Horrea frumentis complet & alma sinu.

Quid operetur quando cum Mercurio pugnet.

Contra Mercurium moueat si lurida bella,
Munera naturæ plurima perdit homo.

Luna à Saturno & Marte visa male cũ Mercurio conuenit.

Quos sene falcifero, pariter quos Marte vidente,
Redditur insipiens embrio ventre tener.

Luna à Ioue aspecta.

Dulce puerperium, largitur & optima natis
Tempora, stellato conspiciente Ioue.
Sic suprema regunt mortalia corpora signa,
Sic bona fata fluunt, sic mala fata fluunt.

De Mercurio.

Mercurii sedes esse Solis & Lunæ domiciliis proxmas.

PRognati Maiâ tenet orbem stella secundum,
Absidibusque gradu, curuat & arte rotas.
Inchoat hospitium sub virgine, subque gemellis,
Sectatur phœben Solis & alta loca.

Non abesse nisi per 28. gradus.

Mercurii reflexus.

Octipedem Cancrum quâ conspiciatque, Leonem,

Vnde retrocedit post properando fugam,
Non secus ascendit fastigia summa superbus,
Quando sors hilari prospera fronte beat.
Donec honoratus misero petit ima rotatu,
Cum tonat aduerso sors inopina gradu.
Tantà Mercurius cum lubricitate reflectit,
Vt modo vel mediâ parte moretur iter.
Vicinus terræ centro, modo cornua Lunæ.
Tangere molitur, quâ loca Piscis habet.
Nunc caput in Boream conuertit præpete gressu,
Visere nunc geminos, nunc repedare iuvat.
Mauortis stellæ si se coniunxerit atræ,
Exilium, strages, denotat, arma, cruces.
Sed si Saturno; nunquam promissa valebunt,
Nec sincera tuis est adhibenda fides.
At Marti, Phœboque simul si iunxerit, ausa
Fortunata duci bella preesse monet,
Sin & Acidaliæ diuæ rapietur amore,
In luxus hominum pectora cœca dabit.
Legislatores Iouis alto visus ab astro,
Et reges populis condere iura facit.
Primus præcepit magicos Cyllenius olim
Noscere naturæ semina prima, viros.

Fortunam ex retrogradatione planetarum & præsertim Mercurii vires accipere.

Mercurium diuersimodè moueri.

Mercurius cũ Marte Homicidæ. Carnifices.

Mercurius cũ Saturno Fœdifragi.

Mercur. cum sole & Saturno. Magnanimi.

Mercur. cum venere Luxuriosi.

Merc. cum Ioue. Lycurgi.

De Venere.

Venerem radio omnes Stellas anteire.

EDita stella mari ternum Venus incolit orbem,
Vincit & auricomâ cœtera signa face.

Lucifer.

Lucifer exoritur, vario cum mane colore
Purpurat effulgens, rore madente, solum.

Hesperus.

Hesperus at fulget fulgentior omnibus astris,
Extollente nigrum nocte silente caput.
Cui Paphus & Cyprus post diruta Pergama Graijs,
Et Cnydius applaudunt thura litare focis.

Venus adultera.

Interdum Martis, verissima fama volauit
In thalamis illam concubuisse diu,
Octobre ingrediens Astreæ signa bilancis,
Bis binos menses post latet ipsa polo.

Tauri signum egreditur Zodiaci latitudinem propter Venerem.

Excedit propriam Zonam vaga, limina tauri
Conscendens, alijs quod licuisse vetant.

Venus anno sui orbis cursum interdum perficit, interdum excedit.

Exigit interdum duodenis mensibus orbem,
Interdum cursus exuperatque sui,
Vt peragret gyros epicycli, sole sed vsta

Venus combusta a sole.

Indiget auricomâ pallida facta face.

Venus cum Ioue et Marte.

Si Iouis & Martis forsan lustrabitur astris,
Carcere compressis fata tremenda feret.

Venus in Leone.

Quadrupedum regi fuerit si pressa Leoni.
Magnanimos, blandos reddit & ore viros.
Arcade, Saturno, lunâ si capta sit, irâ
Inijciet diro fræna furore graui.

De Sole.

SOl pater arcitenens ab Eoo prouenit orbe,
Et duodena suis signa peragrat equis.
Quottidiè lustrat mortales luce, nec ipsos
Solùm, sed flectit sub Phlegetonta faces.
Corpora corporibus radijs contraria nostris
Antipodum penetrat, cum minùs almus adest.
Ipse sed obscurus subitò caligine densâ,
In maris inuitus sæpe natabit aquis.
Tum pestes clades, nymbos, ventosque reportat,
Fulgura, cum tonitru signa futura, niues.
Plurima signifero consistunt nubila cœlo,
Advenit alba Comas & glacialis hyems.
Illius haud superis fas est equitare quadrigis,
Sole nec excepto, Iuppiter ipse valet.
Per taurum cursum petit, Æmoniosque per arcus,
Scorpion, & Cancrum cumque Leone subit.
Sidera flammiuomus postquam bissena pererrat,
Ortæ materiam præbet in esse rei.
Si modo cum calidos commisceat æstibus ignes,
Se fratris subter lumine Luna locet,
Sit Sol falciferi senis actus sydere diro,
Terrificos, atros, fert criticosque dies.
Si foret astronomis aspectus fronte serenâ,
Æolias lenis temperet aura minas.

Sol incedit per eclypticam lineã.
Prognostica.

Quid operetur Sol à Luna & Saturno aspectus.

Lucidus sol causa serenitati

De Marte.

STella cruoriferi splendescit proxima Phœbo
Martis, & effulget lampade rubra polo
Mars pacis impatiens primus arma inuenit
Cassida, cum gladijs hastam, galeamque, thoraca,
Mars primus miles repperit arma ferox.
Ambitione leues animos ad bella cieuit,
Horrida tranquillæ prætulit arma togæ. (Synanche
Effectus belli.
Hinc dolor, hinc lachrymæ, furor, hinc bilis atra,
Foeda salutiferis hinc inimica febris.
Hinc externa simul fluxere grauamina, curæ
Internæ, hinc membris nata podagra gelu.
Quod si conspiciat lunam, tum vita relinquit,
Corpus & humanum pestis iniqua grauat.
Mars in signo veneris
Virginis ac lustrans signum, prurigine fœdat,
Alteriusque thorum turpis adulter amat.
Gorgona saxosam, si taurum, Persea spectet,
Percussos gladijs succubuisse ferunt.
Mars in quarta domo quid significet.
Si quartam cœli sedem calcauerit atrox,
Fundit & euertit prisca trophæa patrum.
Regna secunda tenens cœli, quæ sæcula centum
Congessere, dies dissipat vna, bona.
Mars in 2. domo.
Siue sub occiduum cursus declinet Olympum,
Mars in occidente.
Portendit puero damna futura sato.
Saturnum quadrans Cerealia muneraterræ,
Castoraque inculcans, deficienda monet.

De Ioue.

IVppiter Oleniæ nutritus ab vbere capræ,
Saturno natus fertur et ortus Opi.
In cœli princeps meliori parte locatur,
Turpibus à vitijs aurea sæcla trahens.
Et cycli gyrum bisseno perficit anno,
A terrâ Cancri tollit in astra caput.
O vtinam solus fulgeret in axe planeta,
Nec mars, nec cœli falciferastra forent.
Tum vos crudeles, fatalia numina, Parcæ,
Stamina possetis non resecare manu:
Ergo necesse suo est homini succumbere fato,
Serius aut citius mors truculenta rapit.
Ille facit iustos, Mars prœlia poscit, amorem
Spurca Venus, Phœbus ditia regna refert.
Mercurius gazas referentes, æraque cistis,
Cynthia magnates reddit honore vaga.
Si natæ Veneris flagrabit Iuppiter æstu,
Postponit doctæ tela cruenta togæ,
Sin autem radijs Piscem, Chironaque flectat,
Ex omni genitus parte beatus erit.

De Saturno.

AD magè sublimem tandem transcendimus orbẽ,
Quâ male falciferi fulget imago senis
Signiferum triginta annis percurrit Olympum,
Per varium motum sydera luce ferit.
Phrixæo latitat Solis contrarius astro,
Quod puto vix peragant secula bina semel.
Aurea priscorum mutantur tempora vatum,
Alternâ pariter condita iura vice.
Hæresis, aut populos, aut Dæmon fascinat astu,
Electos Turcæ Christiadasque premunt.
Secula vaticinor nostro ventura sub æuo,
Antichristus atrox cum fera bella geret.
Et medio Christo deuotos tollere perget,
Ni Deus auertat perdita turba sumus.
Si face Mauortis flectatur, in arma rebelles
Legitimum cogent absque timore ducem
Ergo creatorem prece sollicitemus Olympi,
Mitia sublimis dirigat astra poli.

De Domibus Planetarum.

FRigida signa Capræ retinet Saturnus, & Vrna,
Arcus & Pisces gaudet habere Tonans.
Lanigerum Mauors, et Scorpion: alma Cytheris

Libram, cum Tauri poſſidet ore trucis,
Mercurius fratres Geminos cum virgine ; Lunæ
Cancer ineſt, Soli magnanimuſque Leo.

De Arctis figmentum.

LVſtra Licaonius tria vix compleuerat Arcas,
Cum mens venandi flagrat amore graui.
Sæua peragranti ſaltus Erimanthidos vrſa,
Mutata et genetrix obuia forte venit.
Inſcius in matrem, torſurus ſpicula natus
Arcas erat, trepidæ terga dat vrſa fugæ.
Feſſa errando diu meditatur talia mente,
O pater, aſtrorum fer mihi rector opem.
Sis mihi propitius, iaculas prohibeto minaces,
Proſequitur matrem dira propago ſuam.
Ille memor veteris mentem cognouit amicæ,
Qui ſecreta animi nouit operta Deus.
Protinus authorem ſceleris tranſuertit in vrſam,
Impar maiori nec minor vrſa fuit :
In cœlum & rapiens Boreali in vertice mundi
Collocat has vrſas, aſtra propinqua, duas.
Quarum firma minor nunquam Cynoſura vagatur,
Nec mutat ſedem proxima ſtella polo.
Quâ duce Phœnices ſecuerunt æquora nautæ,
Audentes dubijs credere vela Notis,

Nondum magnetis mirabilis arte repertâ.
Hanc septem stellas et coluere suas.
Altera splendidior, nec certior vrsa minori
Maior erat, Graijs nauibus æqua tamen.
Lumen ob illustrans Helice appellatur Homero,
Bis duodena nitens, et tenet astra tria.
Hæc inter septem teriones sidera fulgent.
Quatuor vnde rotis, et tria bobus erant.
Quamuis astronomi matrem cum prole refellant,
Et Iouis altrices signa priora notent:
Non equidem indignor, nec eorum somnia miror
Qui contendentes non nisi vana probant.

Palemonis amores Philosophici.

Nata Iouis, cui spuma, Venus, maris edidit ortum,
Quæ dea lasciuis gratissima rura Napæis,
Sola Cnydi et Cypri vastis moderaris habenis:
Teque, tuumque cano genitum, qui captus ocellis
Dura venenatis iaculatur tela pharetris:
Vos penes imperium cœli, terræque, marisque,
Vos penes et nigri sunt atra palatia Ditis,
Coetera quæ vincunt, vincuntur numina vinclis
Inseparabilibus, capta immortalia, spurcis.
I*uppiter armisonos superauit Marte Gigantes,*
Inque ferum domitor sua spicla Lycaona torsit,

Mortali tamen ille deus ſuccumbere forma
Cogitur, inuitus, varia ſub imagine coecos
Senſus et viſus deludens fraude puellæ.
Cynthius aurato quondam pyroente relicto,
Cum reliquis et equis lucis rutilante vehiclo,
Admeti pauit correptus amore iuuencos,
Neue Cupidineis dubitauit cedere flammis
Sæpe faces gelido Neptunus in æquore ſenſit,
Æſtibus et pulchram flagrauit ob Amphitriten.
Sape iugale thorum maculauit pronuba Iuno,
Quamuis propoſuit ſocialia iura maritis.
Tu quoque Iunoni fueris venus æmula mater,
Inuenta armati Mauortis adultera lecto.
Hei mihi, quod tanta eſt conceſſa licentia coeco,
Illicito et puero quod tantum numen Amori,
Cur mihi turpe ſophi vertant quod vulnera molle
Cor patiatur, Amor cum numina ſauciat arcu,
Poſthuma fama meos potius recitabit amores,
Et populis panget patrÿs ventura ſub oris,
Sera Maronæo præconia digna cothurno
Poſteritas, atauûm pandens ab origine ſortem,

Palemon de ſeipſo.

HVc ades ô longo mea mens moerore ſepulta,
Huc ades, ô iterum mea mens erepta doloſis

 Fraudis

Fraudis imaginibus, rediuiua appingito sortem,
Huc & adeste omnes, quos sollicitudo tenebris
Sordida compressit stygijs abscondita, sensus,
Mœstitiam renouate meam, dissoluite nexus;
Huc ades imbellis pharetratis lingua cathenis
Vincta Dei aligeri, refer (heu) gemebunda dolores.
Dextra diu mutilata manus rescribere tenta,
Diuersasque vices, et amoris dona sinistri,
Eius, qui viuit moriens, qui fata precatur,
Eius, vasa replet qui frustra sedulus vndis,
Eius, qui medio arescit quasi Tantalus amne,
Arboreos fructus confidens carpere poma:
Nocte miser vigilo, fingo spectacula mente,
Sardanapâle tuam contemnens mane cubile,
Vix vbi Phœbus equis imitantibus igne pyropos,
Clara repercussa reddebat lumina terra,
Cogito virgineum vultum mecum, ambulo solus,
Flora coloratos quâ vestit florida campos,
Quâ per odoriferos Maij strepit aura recessus,
Cœruleum volucres quâ tranant nubila pennis,
Quâ Philomela melos dulces resonatque per hortos,
Mœstus eo, redeoque animo conspectibus æger,
Nec suauis mulcet tepidi tam gratia cœli,
Hæc bene testentur Fauni, Satirique petulci,
Hæc bene testetur virides Semeleia proles
Arboreas siluas habitans, vos ossibus ignes

Cres-

Crescere, vos soli lachrimis vidistis ocellos
Stillantes liquidis, ceu rore madescere terram,
Vos homines gemitus, vos audiuistis amores,
Et venerem nostis nostris hærere medullis,
Et nostis lathale meum immedicabile vulnus,
Sæpe meos Pisces tragicos audire boatus,
Sæpe feræ varias solitæ sunt sæpe querelas,
Nectareo & volucres componere gutture nostras:
Mater Ityn mecum defunctum tinnula luget,
Me quoque Chaoniæ cupiunt mulcere columbæ,
Quæ multa alterutris sociatæ basia figunt,
Ipsa etiam regina bifrons, extendere solis
Quam iuuat ad currum pennas, adamantina corda
Flectere molitur dominæ non cantibus vllis,
Nec prece, nec precio, aurifero Iouis imbre reflecti:
Hinc dolor, hinc luctus, lachrimarum flumina manãt
Quæ mihi pallentes vultus, languentia membra,
Et graciles artus, macie infirmarier ora
Causantur, conuexa poli modo summa tueri
Fert animus, stellam fert innuptæque Mineruæ,
Astra vel Astrææ modo cuius dextra bilancem
Læua tenet gladium, rectum Themis omnibus æquat,
Ergo mihi rectum referas, Themis, inclita virgo
Si vel diua Themis dicare, vel innuba Pallas,
Talia verba loquor, surdis loquor irrita ventis,
Cum subitò occurrit species formosa puellæ,

Tum stellas vidisse piget, conuexaque cœli,
Vultur edax animum cibat, & tormenta repūgnt,
Et premor infœlix graue pondus amore deorsum:
Sic iaculis coctis læsit fornace Cupido
Ætnæâ me cote terens, sua tela cruenta
Felle linita gerens, magicis et tincta venenis.
Quando velis tantis (Deus) his imponere finem?
Quando velis mentis misereri indigna ferentis?
O vtinam durum quod per discrimina rerum
Tot fuit ante pati, posthac meminisse iuvaret.

In Cupidinem.

SI, Deus, Empireum tibi patria, summe Cupido,
Sit cœlum, peperit si te Cytherea benigna,
Nectare & Ambrosiâ dulci si pascere victu,
Cur habitas profugus terram modo sede beata
Deserta? furti cur erras conscius exul?
Quid commisisti? celsi quid Numina cœli
Læsisti? quid forte Iouem, qui fulmina forti
Densa manu torquet, qui numine complet Olympum,
Inscius altisonum penetrasti? crimen ob illud
Missus in exilium, nostrisque incognitus oris
Nocte dieque manes, nec non crudelis aduris
Me face flammigerâ, lachrimas pro nectare nostras
Fauce trahens sitiente, sitim releuasque palati,

Et generosa cibas imas, alimenta, medullas,
O truxô & equis Diomedes fercula ponens
Humanam carnem, gaudens & sanguine Pluto.

In eundem.

VEri cessit Hyems brumali frigore stricto,
Purpureusque color rediit, cœlumque serenum,
Splendidior Pyroeis frœnis effulsit anhelus,
Solis ab Arctois reuocatis curribus vndis.
Omnia dum renouat, renouas tua tela (Cupido)
Intentasque faces nimium mea vertis in ora:
Solue (puer) pharetram, tetricas dissolue cathenas,
(Magne Deus) miserere mei, miserere iacentis,
Tollito fascis onus, ne primo flore iuventæ
Languescam, rabidum vinclis compesce furorem,
Nec mentes hominum subiectas omnibus armis
Comprime, sollicitis votis immota voluntas
Si tua sit, Dominæ tenerâ cor transfige plumis
Molle meæ iaculâ vestitâ mollibus, oris
Rugis depositis, sed si lætbaliter ipsi
Iratus noceas, letho lætare duorum.

De Virgineę formę fragilitate.

NI violæ vnguiculis carpantur tempore, marcent,
Forma perit fragilis tanquam Narcissus in hortis
Aut super vndosam faciem quasi bullula fontis,

Cum

Cum ſemel obrepit tacito rugoſa ſenectus
Greſſu quid proſit nardo ſparſiſſe capillos
Aſſirio? niueo quid picta monilia collo
Dependiſſe? oculos vel quid fulſiſſe coruſcos,
Sideribuſque pares imitantes lampada Phœbi?
Denique quid corpus iuuenile habuiſſe vigorem?
Nexaque mēbra graues hominū in præcordia flāmas
Commouiſſe, ſpecu viles cum lumina condunt
Caligata, habitant crineſque in vertice cani?
In ſpeculo inſpexit formam ſic Tyndaris olim,
Subridens, taleſque ſonos mox edidit ore,
Anne ego ſum mulier pro quâ tot Marte cruento
Succubuere viri? venturi ô pectora cæca,
O vanas hominum mentes, rationis inanes.

Ad Roſetam.

PVlchrior Aurorâ roſeis equitante quadrigis,
Poſt vbi ſidereas vicerit ore faces.
Aureolo longe veneris formoſior aſtro,
Cœtera vi magni luminis axe nitens.
Candidior Phœbê, qua, quod tegit omnia, cœlum
Illuſtrat, terras, imaque Fratris ope:
Oſcula redde mihi (mea Lux) mille oſcula redde,
Tot mihi, quot vati Lesbia blanda ſuo.
Quot veneres vultum, quot amores labra pererrant,

Quotque venuſtates ora pudica tenent:
Gaudia perpetuâ quot ſollicitudine rapta,
Quot ſpes, quot curas ſeruus Amoris habet:
Quot calamos geſtat, quot flammea tela Cupido,
Trudit quotque animas in Phlegetontis aquas.
Baſia tot noſtris labris coniunge (Roſeta)
Tot, quid ego dixi? tot dato plura mihi.

Ad eandem.

VT canis Icarius, cum campos ignibus vrit,
Solſtitium reuocat feruidiore comâ:
Flacceſcunt, arentque roſæ, moriuntur & herbæ,
Quæ modo vernabant lilia, læſa iacent.
Sic mea, quæ quondam iuvenilia membra vigore,
Ecce repentinò marcida, nexa, cadunt,
Marceſcunt tactu radiorum (Diua) tuorum
Victa tuâ formâ, victa (Roſeta) tuâ.
Sed quando noſtris tua labra corallina iungis,
Amplexuſque tuos dextera noſtra capit:
Debile cor redit, & mens exanimata vigorem
Accipit, vt pluuiam torrida terra nouam.
Dirigat ergo meam tua ſacra potentia vitam,
Et deſperantis commiſerere mei.
Da veniam niueo circundare brachia collo,
Da veniam fungi colloquioque tuo.

De seipso.

NOn me lubricitet rabies Iunonia, quamuis
Oceano tingi non Cynosura queam.
Stella potens, Helice, splendesco immobilis astris,
Nauiget vt nostra salua carina face.
Vt non Semiuiri verear reboantia tela,
Vt non Alcidis pila rotata manu.
Vt non Tytanios, congesta mole, gygantes,
Nec timeam summi fulmina dira Iouis.
Tanta Cupidineæ vis est immota iuuentæ,
Tantaque, quæ numen matris Amoris alit.
Aspera deformis patietur frigora Brumæ,
Dum placeat dominæ, dum redametur amans.
Flammiuomo augusti cruciabitur ore Leonis,
Succedant votis vt bene cœpta suis.
Vincere nec Furias quoque constans ipse feroces
Dum redamer, dubitem, nec necis ire viam.

Ad Rosetam.

SIc tua dispersi per eburnea colla capilli
Auricomi, sic me frons rubicunda mouet:
Sic oculi inflammant animum, sic ora perurunt,
Sic mynio similes (blanda Roseta) genæ:
Sic pueri alati cor inuiolabile telis,
Sic species mirâ cum grauitate tua.
Cætera quis nescit? nil vituperabile confert,

Nil

Nil natura mali, nil rudis alma tibi:
Vt bene non conuexa poli, non lumina Phœbi
Cernere, nec poſſim membra leuare thoro.
Non cuperem gazas Arabum, non regna beata,
Sed potius vitam morte piare meam.
Non Muſas celebrare nouem, non viſere Pindum,
Sed ſine te lachrymis tingere mille genas.
Si mihi (diua) faues, euerſâ morte reſurgam,
Morte triumphabo, ſi mihi (diua) faues.

Ad eandem.

FAllor? an es Niobe, lapis, aut Marpeſia cautes,
Siue Marullano picta Neæra libro?
Fallor? an è Scythia veniſti nata ſub antro
Caucaſeo Tygris Parthica, ſiue Lupa?
Non lupa, non Niobe, cautes, nec Parthica Tygris,
Sunt quia muta, loquax tute Neæra manes.
Illa proterua, loquax, indignabunda poetæ,
Tu mihi ſæpe faues, ergo (Roſeta) roſa es.
Pulchra Roſeta roſa es, faciem ſuffuſa pudore,
Lilia cui iungunt conſociata, roſa es.
Ergo roſa es? manibus cui plumbea ſpicula geſtans,
Cum pharetrâ, vt matri morigerabit Amor.
Ergo roſa es nunquam correpta Cupidinis armis?
Excrucior, vexor, mœreo, ploro, fleo.

Ergo rosa es, vellenda piâ prece germine tandem?
Spero, reuiuisco, gaudeo, canto, precor.

Ad eundem.

STellatos quoties in me conuertis ocellos,
Largifluis vndis squallida membra scatent.
Nix veluti, Tauri cum Sol reuocauerit astrum
Fit liquor, omne nouo vere tepente solum.
Haud secus evanesco dolis Ixionis, vmbris
Deceptus diuæ, membraque biga rotat.
Ah saxum nunc voluo, tuam luo Sysiphe pœnam,
O vtinam monstro præda voranda forem.
In cinerem vertar, fuerim cinis antea, veni
Nudus in hanc terram, nudus abibo miser.
Forsan & extincti quidam præscribet amicus,
In tumulo mæsto talia mæsta meo.
Hoc iacet in tumulo iuvenis defunctus amore,
Cui subitæ mortis causa Roseta fuit.
Fabula sic vulgo fias dea summa dearum,
Quod Deus auertat, reiiciatque precor.

In Cupidinem.

IMbres tellurem gratè, tua gratiùs ora
Me recreant, vita semina grata seris.

Rideo cum rides, fleo cum fles, omnia nutu,
Stantque tuo arbitrio, deficiuntque mea.
Cor cuſtodiri tibi dedo ſedula cuſtos
O & præſidium deliciæque meæ.
Seu lux Eoo Phœbeïa ſurgit ab orbe,
Cornua ſeu ſplendent (menſtrua Luna) tua.
Obuia viua meis oculis occurrit imago,
Vt nequeant vnquam non vigilare, tua.
Nunc dextra incumbo, nunc parti incumbo ſiniſtra,
Vrticis medium neſcit habere caput.
Aeſtibus & æſtus quos anget Sicelis Æthna,
Diſtrabor heu faculis, torribus, igne, rotâ.
Non Ægiptiaci ſeptenflua flumina Nili
Mœrores ſedent, non Phaetontis aqua.

Ad Somni miniſtros vt dominę dormienti conſulant.

DVlce recumbentis dominæ curate miniſtri
Vos Somni Morpheu, Phante, Phobetor, onus.
Membra ſoporiferis aſpergere parcite lymphis,
Parcite lethæis tingere corpus aquis.
Heſperiden ſeruate meam, ſeruate dracones
Inſomnes dudum vellera pacta mihi.
Sic quondam Phrixi cuſtodijt aurea mala,
Sollicito domini pervigil ore draco.

Ponitur idcirco Boreali in cardine mundi,
Splendeſcens vrſis ſtella propinqua feris.
Scilicet hæc meruit vigilantia præmia digna,
Sedulus afficitur muneribuſque labor.
Cumque vbi rorifero coniux Tythonia mane,
Deſeret annoſi dulce cubile ſenis.
Præmoniti à domina diſcedite ſenſibus vnà,
Donec in occiduo clauſa ſit orbe dies.

Ad Roſetam.

P*Arvula gutta fluit, penetrat nec robore forti*
Marmoreum lapidem, ſæpe cadendo cauat.
Sint licet igniculi flammati in pectore noſtro,
Quottidiè minimos creſcere cerno tamen.
Balſama tu teneri mihi ni dignaris amoris,
Radices ortas vellere (diua) nouas.
Ergo modis paribus compono carmina vincta,
Oroque carminibus pondus ineſſe meis.
Aurea cum plumbo qui geſtat ſpicula mixta,
Editus Idalia de genitrice Puer:
Hei mihi, cor tandem captus penetrauit ocellis,
Tu niſi me tanto nemo dolore leuet.
Exiguum munus mentem tibi trado fidelem,
Dona manum, vitam, noſtraque fata tibi.
Vt me tormentis pluſquam crudelibus Orci,
Liberet articulis littera ducta tuis.

Ad eandem.

SI modo in Idæos descendant numina saltus,
Consultura Phrigem Iuno, Minerua, Venus.
Te dijs coniuncta, precium certaminis anceps
Non foret, æthereas anteis ore deas.
Sceptra licet Iuno promittat, laurea Pallas,
Et formâ vxorem Cypria diua magis.
Aureolum tribuet pomum tibi Dardanus Heros,
Cum longe diuis dotibus aucta præis.
Non vt sit Paridi lugubris causa tumultus,
Sed cum consensu dona merere Iouis.

Ad eandem.

QVòd non sunt animi tibi missa propemptica signa,
Lux mea, conquereris mente, Roseta, gravi.
Forsan ais, vecors ignavia fecit amicum,
Quo minus euenit littera scripta mihi.
Forsan musa iacet nimis indignata poetæ,
Siue superba meam spernit adire domum.
Crede puella, mihi, non talis detinet error,
Nil nisi te meditor, nil meditabor amans.
Scripturi mens ægra stupet, vox faucibus hæret,
Occurrunt lachrymæ, dextera quassa timet.
Causa ignota manet, ni cor fortasse Cupido

Perforet obtuso rursus amantis acu.
Vt videar sentire graues in pectore flammas,
Queis erat a Graiys Troia cremata rogis.

Ad eandem.

SI (dea) te Pario depingere vellet Apelles
Marmore Praxiteles, clara vel ora tua.
Ni tua detineat Phœbeæ lampadi lampas
Aemula, lucidior Cypride picta fores.
Tantas virtutes animo Tritonia donat
Virgo tuo, tantos & Charis alma sales.
Tantam Iuno tibi grauitatem, Suada lepores
Tantos, vt synodo sis dea dicta deûm.
Vt Pandora tenes diuorum singula dona,
Quâ nihil astra magis, nil magis orbis habet.
Nec mirum, quod multa canant præconia vates,
Et tua transcribant nomina celsa libro.
Cum dea, non virgo mortalis Nectare viuis,
Viuis & Ambrosiâ non peritura die.
Vt mihi si Clio daret aurea dona poetæ,
Non possem laudes annumerare tuas.
Copia tardat opus, conatus carminis Auctor
Impedit incœptos, copia tardat opus.
Nomen (diua) tuum sic diuulgatur in orbe,
Copia vt impellat dicere, diua vale.

FINIS.



Critico, Cynico, Momo, & huius fæcis fraterculis, magis curiosis quam beneuolis, sanam mentem.



FVgiat hinc Aristarchus, qui in propriis vlceribus incuriosus, alienas obseruat papulas; abeat Homeromastix, qui festucam in fratris annotans oculis, trabem non cernit in suis; discedat Bauius, in nostris Lynceo oculatior mendis, in suis talpâ cœcior lituris; Facessat Æsopicus ille scriba, qui cum duplicem habuerit manticam, eam quæ a tergo fuit impudenter neglexit. Non ego Aristarchi virgulam censoriam curo, non Homeromastigis reboantia fulmina extimeo, non Bauii furiosos obelos æstimo, non Scribæ illius veterani calculos annotatorios magnipendo. Quid Sybillina folia exigis Cato? Criticus es, mihi placeo. Quid fellea ampullaris verba Diogenes? Cynicus es, amicis indulgeo. Quid intonas Mome? meæ rosæ tibi vrticam et absynthium olent? o multorum capitum bellua, o auree Apuleii asine. si nostræ lectionis te pœniteat, alió te conferas, Nolo quenquam iurari in mea verba. E nouo tamen Lycæo nouitiis conspiciundus huc prodeo, regium esse reputans virtutis gratiâ malé audire. An Palæmonis mei amores tanquam verrucas, explodendos arbitraris Critice? nodum in scirpo quæris, per Palæmonem, iuvenem studiosum, per Rosetam, philosophiam intelligo.

An materiam tam ſublimem ſine eloquentiæ calamiſtris, ſine coloribus Rhetoricis, aut floſculis Poeticis, me paruis coarctaſſe ergaſtulis exclamas Cynice? Fœnum in cornu habes; inſulſus es, Cinice, et cares naſo. Quid tu Mome? Librum hunc minutulum eſſe, ideoque eruditis bilem et iracundiam commouere aſſeris? eoſdem retexis fuſos Mome. eundem cum critico et cynico torques funem. exiguum eſſe fateor, nihil tamen minas, nihil ronchos hoſtiũ metuit: non Elephanti proboſcida, non Leonis circinatam caudam, non Aquilæ hamoſum roſtrum, non Aranei aut Stellionis aculeos reformidat: Caput enim acuminatum habet quod iniuriam illatam abarceat, manus vngulatas quæ inimicis noceant; cutem etiam ſetis, villis, et ſquamis ita armatam, vt eius aſpectu vel ipſa Inuidia, (quæ

fuſis per terga colubris,
Impete cum ſtrepitante pios auferre labores
nititur, et ſacro vatum non parcit honori)

incontinenter ſuperatur, ſuperata cruciatur, cruciata cincinnos felle iteratos diſſipat, et diſſipatos igne inextinguibili conſumit. ſed ne Talionis vicem referre iudicer dum hoſtilem taxationem retaxo, plura ſcribere ſuperſedeo, Criticum, Cynicum, et Momum interim admonens, vt huius, Poetæ recordentur,

Cum tua non ædas, carpis mea carmina Lector,
Carpere vel noli noſtra, vel æde tua.

Veſtræ Fraternitati inimiciſſimus,
Gulielmus Vaughannus
Maridunenſis.

EROTOPAINION
pium continens

1. Natiuitatem & quædam Chriſti acta.
2. Speculum pudicitiæ. 3. Pſalmos aliquot ſelectiores.

Pars ſecunda.

E ſacris Scripturæ lacunis deriuata & paraphraſticè carmine donata,

Opera et ſtudio
Gulielmi Vaughanni Maridunenſis
in Artibus magiſtri.



LONDINI
Apud Georgium Shaw typographum.
1598.